

Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

Bellecius, Aloysius

Ratisbonae [u.a.], 1755

Cap. IV. De incitamentis Numen Eucharisticum ferventer suscipiendi.
Præcipua sunt.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55547

CAPUT IV.

*INCITAMENTA
NUMEN EUCHARISTICUM
FERVENTER SUSCIPENDI.*

Supervacaneum foret, multa differere de insigni efficacia, qua S. S. Eucharistia pollet ad nos in virtute solida promovendos; cùm id latens ibidem triticea sub nube Verbum silenti facundia abunde loquatur. Quia verò inde sperato fructui assuetus tepor, quo ad cœlestem hanc mensam accedimus, noxium obicem ponit, rei necessitas exigit, ut afferantur incitamenta, Numen Eucharisticum ferventer suscipendi, quæ præcipuè quatuor sunt. I. hujus Mysterii excellentia. II. ejusdem effectus. III. Christi inde relucens charitas. IV. nec non sacrificii, & Sacerdotum dignitas.

§. I.

Mysterii excellentia.

I. HÆc triplici ex fonte stupenda

prorsus, eminens ac divina est, *Hæc sum-*
nempe 1. ob personam, quæ latet. *ma est ob*
2. ob modum, quo latet. *personam,* *3. ob fi-*
nem, cur latet. In primis ibi cum
immenso perfectionum suarum appa-
ratu præsens residet æterna infinitæ Di-
vinitatis Majestas, unà cum Augustis-
simis tribus personis Sacrosanctæ Tri-
nitatis. Ibi absconditum delitescit il-
lud ipsum Servatoris purissimum cor-
pus, quod ex Virgine natum, flagel-
lis discepsum, spinis cruentatum, in
cruce clavis & lancea perforatum, tri-
bus horis affixum pependit. Ibidem
moratur sanctissima ejusdem anima,
quæ Verbo hypostaticè unita, summis
virtutibus ornata, interminatam Patris
Potentiam, Filii Sapientiam, & Spi-
ritus Sancti Bonitatem miro nexu
participatam possidet.

In summa: illic adest Homo-DEus,
Christus JESUS beatorum delicium,

terror dœmonum, Dominus dominan-
tium, (a) Salvator mundi, (b) spen-
dor gloriae & figura substantiae DEI; (c)
constitutus judex vivorum & mortuorum:
(d) in cuius nomine omne genu flecti-
tur cœlestium, terrestrium & infernorum;
(e) & cui data est omnis potestas in
cælo & in terra. (f)

^{II.}
Ob mo- ^{dum, quo cœlorum,} II. Et adest non *in splendoribus san-*
ditat. *et regali magnificentia vi-*
sendus; sed vili specierum lacerna te-
ctus, panis formam indutus, & instar
communis de trivio cibi mandendus,
glutiendus, & in stomachum trajicien-
dus. Adest ad violentum animæ sta-
tum, eumque talem redactus, in quo
solius naturæ viribus nec sentire, nec
loqui, nec audire, nec videre, nec
ullum corporis motum exercere va-
let. Vi cuius, nisi illius immortalis
obstaret, ei denuo vita exceden-
dum foret.

Et

(a) Apoc. 19. v. 16. (b) Joan. 4. v. 42.
(c) Hebr. 1. v. 3. (d) Actor. 10. v. 24. (e)
Phil. 2. v. 10. (f) Matth. 28. v. 18. (g) Psal.
8. v. 10.

Et ad hanc impotentiam (stupete
ō Cœlites!) redactus adest non inter-
posita Principatuū aut Potestatum
opera, sed tribus duntaxat quatuórve
voculis à sacerdote, eoqué non raro
prævaricatore prolatis; idque toties &
ubique locorum, quoties & ubicun-
que ea rite proferre eidem libuerit.
Ac in hoc situ tamdiu durat, donec
species, queis substāt, naturali vitio
corrumpantur; expositus innumeris
Judæorum, Sagarum, Novatorum,
hominumque sacrilegorum, nec raro
etiam murium irreverentiis, vexatio-
nibus, injuriis; quibus hoc Sacramen-
to ad ludibria, blasphemias, beneficia,
aliasque magicas artes impiè abuti
pro minimo est.

III. O mysterium vel ipsis Angelis
admirandum! cuius excelsitas immen- III.
sūm crescit ex fine, ob quem se *Rex*
gloriarum (g) ad humilem adeò, & nihil
proximam conditionem demittit,
deprimitque. Nimirum Omnipotens
illud, sibi soli sufficiens, ac nullius
indigum Numen tenui nebula velatum,

Ob finem,
cur latet.

N 4 latec

later nulla sui, sed solummodo nostri causa & emolumento; nempe ut suum nobis amorem probet, nostrumque vicissim emendicet: ut nos gratiae, regnique sui consortes reddat, orbiique palam faciat, suas *delicias esse*, *versari cum filiis hominum.* (h) Sacrarii tenebris abditus ideo latitat verè *DEUS absconditus*, (i) ut afflitos soletur, tentatos erigat, egentes diter, miseros protegat, languentes sanet, omniisque bonorum genere immemores cumulet.

Presso radiorum splendore, idcirco tonantis potentiae dignitatem occulit, ut majori cum fiducia ad eum adeamus; ut sic aptius vivis sit alimentum, medicamen ægrotis, moribundis viaticum; ut ad perpetuum hostiae statum adductus, *semper vivat ad interpellandum pro nobis.* (1) Verbò: ut se nobis & pro nobis in nostros unicè usus totum quantum impendat, verè Pastor bonus, qui non contentus, semel

(h) *Prov. 8. v. 31.*
(1) *Hebr. 7. v. 25.*

(i) *Isa. 45. v. 15.*

mel in ara crucis animam suam pro
ovibus posuisse, eas insuper more pe-
lecani sanguine suo ac corpore con-
tinuò pascit.

O Superi ! hæc legimus, & tamen
immani languore torpemus ; tantæ be-
neficiæ non nisi ingratum gelu re-
pendimus ; tantiq[ue] mysterii excellen-
tiam adeò non æstimamus , ut etiam
vilipendamus. Vah improbos nos !
credimus te in altari præsentem, DEus
magne ! & tamen in omnes reveren-
tiæ leges audacter peccamus. Trepida-
entes adstant purissimi Spiritus , & in
abyssum sui nihili se abjiciunt cœle-
stis aulæ Principes ; soli nos vermiculi
incomposito corpore adesse sustine-
mus tremendo Numini. Ultro nos
invitas ad æthereas dapes Divinus Ho-
spes , & siliquarum avidi Angelicum
panem nauseamus. Heu ! languidi ,
distracti q[ue] accedimus.

O JESU Eucharistice ! quid magis
admirer, tuamne erga nos bonitatem ;
an verò nostram erga te improbita-

N , tem ?

tem? Enimvero in belluas migrasse, aut saxa induisse nos oportet, nisi hæc meliora intellectui sensa, nisi animis ardorem inspirent. O Divine triticea sub nube delitescens Sol! ah! tandem dissolve mentium glaciale frigus, ac flammis tuæ charitatis ure renes nostros & cor nostrum, ut, fugato tempore, sint lampades ignis atque flammarum, (m) ante tabernaculum fœderis thymiamma fervoris constanteradolentes.

§. II.

Eucharistiae effectus.

^{I.}
Est vero. I. **A** Iterum Eucharistiam ferventer
nus gratia. **A** suscipiendi incitamentum est
piis. geminus, diversus licet, quem parit,
effectus. Nam teste Angelico Docto-
re (a) mors est malis, vita bonis; id
est, thronus gratiae pie accendentibus;
tribunal verò justitiae tepidè appro-
pinquantibus est. Quod gratiae thro-
nus religiosè accumbentibus sit, elu-
ceret exinde, quia per eam recipimus
illum,

(m) Cant. 8. v. 6. (a) In Hymno.

illum, qui, cùm omnipotens sit, dare nobis omnia potest, & dare etiam cupit; cùm infinito amore nos prosequatur, nosqué immortalibus donis complere, nisi obicem ponamus, non solum in votis, sed etiam in deliciis habeat.

Hinc ex mente SS. PP. vel unicus ad sacrum illud epulum accessus sufficeret ad formandum subitò maximum ex nostrum quolibet Sanctum. Nam, qui debita cum pietate ad divinam hanc mensam advolat, is sedet ad ipsum sanctitudinis fontem; imò possideret ipsum omnis sanctitatis authorem, omniaque obtainenda sanctimoniaz subidia sibi obvia, & largiter obtrusa tenet. Proin exulta, ac magnas in spes exurge, ô felix anima! en! quem cordis hospitio suscipis DEUM, is potest, & vult te reddere sanctam, & talem certò certius te quoque efficiet, modò etiam tu ipsa id seriò velis.

Et quidnî? Si enim ille *calculus*,
quem unus de Seraphim forcipe tulerat de
alta-

altari , (b) solo attactu Isaiæ labia ab omni iniquitate & peccato mundavit: si fimbria vestis Christi Hemoroissæ: si umbra transeuntis Petri Solymæ in colis incolumitatem attulit; quid non efficiet ipsa *salus*, & *virtus*, (c) vitæ-que Dominus intra te receptus? ille, inquam, Dominus, qui ideo venit in terram magnus è cœlo medicus, ut, quod ægrotum, sanaret: (d) ut per suum nos sanguinem sanctificaret, (e) omnesque etiam minimas labes ex animabus nostris lustrica virtute depelleret.

Et certè, si familiariter agens *cum sancto* pariter *santus erit*, asseverante id regio Vate; (f) an minus quid esse poterit ille, qui non solum ingreditur *in sancta sanctorum*, sed ad quem ipse Sanctus sanctorum divertere, & non tantum in ejus domo, uti apud Zachæum, sed in ipso etiam ejus corde mansionem facere non dignatur?

Præter-

(b) Isa. 6. v. 6. (c) Apoc. 12. v. 10. (d)
Ezech. 34. v. 4. (e) Hebr. 13. v. 12. (f)
Psal. 17. v. 26.

Præterea Eucharisticum Numen ipsas cœlestium donorum arcas, nobis referatas, prodiga liberalitate offert, & obtrudit; unde accipere cupida manu quivis potest, capere quantum valet. Imò cùm nos tanti beneficij incuriosos fore providerit, *omnes suæ amoris thesauros* (verba sunt Concilii Tridentini) ultro in nos ipse profudit; (g) ita ut verè memoriam ficerit mirabilem suorum misericors & miserator Dominus, se ipsum in escam dando timentibus se. (h)

Quippe hoc Divinæ Potentiae monumentum, ut rectè ait Scholarum phœbus Aquinas, (i) non solum est beneficiorum ab ipso nobis collatorum, & miraculorum ab eo patratorum maximum, sed collectio quadam, omniumque reliquorum compendium. Nam DEUS naturam humanaam assumendo, hominem quidem ad Divinitatis thronum extulit, ac infinitæ charitatis suæ gremio intulit:

(g) Sess. 13. cap. 2. (h) Psal. 140. v. 4.
(i) S. Thom. Serm. Fest. Corp. Christi.

tulit ; at verò hīc ipsius majestas ad nostrum se nihilum deprimit : ipsius immensitas intra nostra sese viscera recipit, coarctat, abscondit. Ibi unus solūm homo mirabili nexu copulabatur Verbo ; hīc se Verbum stupenda pietate cuique nostrūm nullo discrimine unit, conjungitque ; & quidem eo vinculi genere, quo nobilius à nobis excogitari nequit.

In aliis operibus suis hujus vel illius solummodo singularis gratiæ nos participes reddit ; at verò hīc ipsius gratarum fontis pleno jure nos dominos efficit. In reliquis religionis nostræ mysteriis seu Sacramentis quasi ex rivulis tantūm, manantibus sensim guttis, bibimus. Hīc autem ex ipsa scaturigine prorumpentem pleno gurte alveum largo ore haurimus. O verè beneficūm in nos viles vermiculos Numen ! O effectum, quem nobis mortalibus ætherei Spiritus jure invidenter, si æmulationis capaces forent.

Sed

Sed quis poterit enarrare omnia bona, quæ parasti in dulcedine tua pauperi DEUS! (1) ah! nulla lingua par exponendo est, nullus intellectus capere sufficit, quæ ibi præpararis diligentibus te. Dum enim fidelem tibi animam Angelorum esca nutriviisti, simul panem de cœlo præstas illi, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. (m) Insuper torrente voluptatis tuæ potas eam, (n) & introducis in cellaria tua, in cubiculum (o) intimæ tecum consuetudinis; ubi mystico tibi connubio desponsata, tu solus ei omnia in omnibus es: ubi cum Paulo tertium in cœlum rapto, Te ea sibi verba ad cor loquentem audit, quæ non licet homini loqui. (p) Læva tua sub capite ejus, intellectum multiplici lumine illustrando: dextra tua amplexatur eam, affectus miris ardoribus inflammando. Dulcis est fructus tuus gutturi illius, (q) omnes sensuum illecebras ei insipidas reddendo.

(1) Psal. 67. v. 11. (m) Sap. 16. v. 20.
(n) Psal. 35. v. 9. (o) Cant. 1. v. 3. (p)
2. Cor. 12. v. 4. (q) Cant. 2. v. 3. & 5.

do. O Spōse verè candide & rubicunde! candide triticeo sub orbe: rubicunde sub vini colore. O quām pīnguis est panis tuus! (r) calix tuus inebrians, ô quām præclarus est! (s)

O verè sacrum convivium, in quo ubertim mens impletur gratia; quin & præterea futuræ etiam gloriæ nobis pīgnus datur (t) secundūm illa Joannis verba: qui manducat hunc panem, vivet in æternum. (u) Ita est, ô DEUS salutis meæ! (x) Misericordia tua subsequetur me, hoc cibo dignè refectum, omnibus diebus vitæ meæ: inhabitabo in domo tua in longitudinem dierum. (y) Repositæ est hæc spes mea in sinu meo. (z) Nam quem timebo? Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me, (w) & insidiantur animæ meæ. Proin si etiam consistant adversum me castra, non timebit cor meum. (aa)

Si

(r) Gen. 49. v. 20. (s) Psal. 22. v. 5.

(t) Ecclesia in off. S. S. Sacr. (u) Joan. 6.

v. 59. (x) Psal. 37. v. 23. (y) Psal. 22. v. 6.

(z) Job. 19. v. 27. (w) Psal. 22. v. 5. (aa)

Psal. 26. v. 3.

Si enim Elias ambulavit in fortitudine cibi illius subcinericei quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem DEI Horeb, (bb) qui figura solūm & umbra erat collum aeternorum; (cc) quanto magis nos hoc cœlesti viatico roborati, in clivum cœlestis Sion eluctabimur. Si sanguis illius Agni Paschalis, qui tamen hujus nostri non nisi typus fuit, superliminariibus domorum (dd) illitus, exterminatorem Angelum ab Israëlitis avertit; si farina Elisei mortem ex olla fugavit; (ee) quanto magis divinus hic potus, alimentum hoc vitæ nos ab interitu vindicabit. O itaque effectus terque quaterque beatos, qui ex hoc mysterio velut ex paradisi fonte divite vena profluunt! Quis ergo neget Eucharistiam esse thronum gratiæ piè usurpantibus illam?

II. Contrà verò tepidè ad eam accedentibus tribunal justitiæ erit, & quidem rigidissimum ob personam

Pars II.

O

tum

(bb) 3. Reg. 16. v. 6. (cc) Gen. 49. v. 26.
(dd) Exod. 12. v. 7. (ee) 4. Reg. 4. v. 4.

II.
Est tri-
bunal ja-
stitiæ tepi-
dis.

cum iudicis, tum rei. Heu! quis poterit stare, attonitus exclamat Apocalypticus Vates, quando veniet dies magnus irae Agni? (ff) nota: agni; non feræ tygridis aut sævientis ursæ raptis catalis; (gg) sed agni & quidem illius agni, qui olim obmutuit etiam aoram ipso tondente se. (hh) Ah! tunc ejusmodi dicent montibus & petris: cadite super nos, & abscondite nos ab ira agni, (ii) qui judiciaria cum potestate, iridi insidens, stipatus Angelorum choris, minaci voce itrugiet ut leo; verè magnus, potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera. (ll)

O miser! quo tunc terrore percelleris, dum ab illo ipso te judicandum cernes, quem in Eucharistia tam viliter, ac indignè habuisti. Dum ab inexorabili hoc quæsitore fulminantitonitru audies: ego sum ille JESUS, quem ad te divertentem, tam languide

(ff) Apoc. 6. v. 17.

(gg) 2. Reg. 17. v. 8.

(hh) Acto. 8. v. 32.

(ii) Apoc. 6. v. 16.

(ll) Deut. 10. v. 17.

dè ac distractè suscepisti : cui tot de-
spectus in altaris Sacramento intuli-
sti : cuius purissimum corpus non ali-
ter ac communem de trivio panem
toties impuro ori tumultuariè injeci-
sti ; Ego sum ille non jam sponsus sed
ultor : non jam agnus sed leo , qui
cruorem meum, irreverenti teperc pro-
fanatum, ultrici pœna vindicabo. Ad
hæc quis, quæso , tibi sensus erit ? Si
enim *clamans de terra vox sanguinis*
Abelis (mm) Divinam Nemesis in ad-
tantam iracundiam commovit ; quid
non sufficiet sanguis Christi à DEO Pa-
tre vindictam de te ob sui profanatio-
nem expertentis ?

Præterea quis terror tunc , quæve
consternatio tua erit ? dum à judice
ad reum oculos deflectendo cogita-
bis , te in ipso gratiarum mari usque
siccum , ad supernum hunc ignem
sempre frigidum , inter divinas opes
medium , tamen pauperem perman-
fisse , & quidem ob tuum in suscipien-

O 2 do

do cœlesti hoc cibo languorem per-
mansisse.

Dum considerabis, te ipsam hanc
dapem gustando Ægypti cepas fame-
lica ingluvie appetiisse: post haustum
toties sanctitatis fontem, tamen vitio-
rum cœno immersum, Babylonis flu-
mina aut omnino meretricium ejus
poculum sitiisse; (nn) & post tot sy-
naxes nihilo meliorem evasisse, nul-
lum defectum correxisse, nullam vir-
tutem acquisivisse.

Demum quæ tua tunc confusio,
quis dolor erit? dum recordaberis,
potuisse te ad summum sanctimoniam
apicem eluctari, idque tam facili re-
medio potuisse; & tamen noluisse: in
corporis veterno usque sepultum pu-
truisse. Age, ingrata anima! quid op-
pones Christo vindici? quando tuam
hanc inertiam illis ultricibus verbis
tibi exprobrabit: *quid est, quod debui*
ultrà facere vineæ meæ, & non feci?
(oo) quid pretiosius dare, quod non
dedi?

dedi? cùm dicet: nunc ergo habitatores Ierusalem judicate inter me, & vi-
neam meam? (pp) Ecce filios enutriui,
& exaltavi; ipsi autem spreverunt me.
(qq) qui simul dulces mecum capiebant
cibos, (rr) imò queis ipius ego eram
cibus, hi violabant me propter pugillum
hordei & fragmen panis. (ss) Incrassa-
tus est dilectus, impinguatus, & dilata-
tus; incrassatus carne mea, impinguatus
cruore meo; & en! recalcitravit, (tt)
reddendo mala pro bonis, & odium pro
dilectione. (uu) Age, infelix! ad hæc
quid repones?

Ah fateor! non potero ei respondere
unum pro mille; &, si justificare me vo-
luero, ipsum os meum tanti temporis con-
scium condemnabit me. (xx) Nam in-
excusabilis est, quisquis Numine pa-
stus, adhuc tepidus, quisquis merus
fervor non est. Heu! toties jam om-
nis puritatis authorem cordis hospitio
excepi; & tamen tot nævorum sordi-

O 3

bus

(pp) Isa. 5. v. 3. (qq) Isa. 1. v. 2. (rr)
Psal. 54. v. 15. (ss) Ezech. 13. v. 19. (tt)
Deut. 32. v. 15. (uu) Psal. 108. v. 5. (xx)
Job. 9. v. 3. & 20.

bus semper maculatus squaleo. Toties Angelica dape refectus tamen adhuc pravis animi motionibus, imò & peccatis obnoxius vivo. Et licet Deus Eucharisticus, semetipsum exinanivisse non contentus, miracula miraculis cumulet, ut vel micam mutui à me amoris emendicet; tamen tantæ charitati non nisi ingratum frigus rependo, semper remissus torpeo.

O cœli! deberemus tanquam leones, agnem spirantes, ab illa mensa recedere, facti diabolo terribiles; (yy) & toti frigidì recedimus, facti ludibrium dæmonis. Ah! Agnum comedentes, adhuc lupi sumus: Angelorum pane saturati, adhuc siliquas esurimus: cœlesti nectarè potati, adhuc lutulentas mundi aquas sicutimus. Verbô: DEO refecti, adhuc terram sapimus: Christo pleni post res creatas currimus: ipsa sanctitate saginati, innumeris adhuc nævis scatemos. O Seraphini! cœlestes oculos alis vestris contegite,

ne

(yy) Chrysost. hom. 16. ad pop. Antioch.

ne tantam indignitatem intueri cogamini.

Heu! in tremendo illo judicio quænam erit nobis excusatio; cùm talibus pasti, talia peccemus? (zz) At vœ! vœ! nobis ab ira Agni. Igitur salubri metu correpti, à tribunali justitiæ, quod rapidis imminet, confugiamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno, (ww) quod Christus in Eucharistia piè accumbentibus plenis manibus offert.

§. III.

Christi Eucharistici erga nos amor.

I. Tertium incitamentum divina

Thæc mysteria ferventer suscipiendo est eminens illa ac incomprehensa bonitas Christi erga nos, quæ in Eucharistia 1. totum, 2. omnibus, 3. semper & ubique dat. O verè

O 4 Sacra-

Quia se totum,

(zz) Chryſt. ibidem. (WW) Hebr. 4. v. 16.

Sacramentum amoris, in quo JESUS nobis non siderum radios, telluris opes, aut maris gemmas; sed SE dat, & quidem *se totum* dat; totum suum corpus, totam animam, totamque Divinitatem cum universo, licet infinito, meritorum thesauro: nil sibi reservando, excipiendo, negando; sed totum se *libentissimè impendendo*, & *superimpendendo pro animabus nostris*; (a) non solum cum dilecto illo instar fasciculi myrræ inter ubera commorando; (b) sed in ipsa nostra viscera instar alimenti se demittendo. Quis tantam charitatem attonitus non obstupescat? Ah! verè non est alia natio tam grandis, que habeat DEOS adeò intimè approxinantes sibi, sicut DEUS noster adest nobis. (c)

O ingens nostri nihil amator DEus! an non ergo sufficit, quod nobis stellas ad splendorem, terram ad usum, Angelos ad custodiam dederis? quod luto nostro tuam imaginem impresseris?

(a) 2. Cor. 12. v. 15.
(c) Deut. 4. v. 7.

(b) Cant. 1. v. 12.

ris? genus nostrum ad Augustissimæ
Triadis thronum evexeris, tuaque tam
cruenta nece ab inferis redemptos,
cœli hæredes nos scripseris? ut etiam
te ipsum, & quidem totum quantum,
modoque tam mirando impendere,
donare, prodigere non digneris.
Quis, obsecro, quis audivit unquam
tale, aut quis vidit huic simile? (d)

O Cherubini! tanti portenti admira-
ratione defixi, vestrum illud trisagium
suspendite, & factō iterum *in cœlis si-
lentio*, (e) insolitæ rei miraculum ado-
rate. En! *Dominus meus factus est ci-
bus meus!* *Divini Patris Verbum meum*
est nutrimentum! *Sapientia DEI est re-
fectio animi mei!* (f) O Mortales! quod
Angeli videntes horrescunt, neque liberè
audent intueri propter emicantem inde
fulgorem, hoc nos pascimur, huic nos uni-
mur. (g)

O 5

O Numin!

(d) Isa. 66. v. 8. (e) Apoc. 8. v. 1. (f)
Bonavent. p. 3. Stimul. divini Amor. c. 14. (g)
Chrys. hom. 60. ad. pop.

O Numen ! si fas est dicere , verè prodigum tui præ desiderio hominis ! (h) Ah ! cùm jam totum me tibi debeam creanti , totum me redimenti , quid reprendam te totum mihi in epulum offerenti ! Vah ! quàm ingratus forem , si mutuum tibi amorem frigidus negarem ; si his flammis torpidum mentis gelu reprendendo , non nisi tepidè ad has epulas accederem .

II. II. At nondum hìc sistit optimi *Omnibus*, Salvatoris benignitas ; insuper omnibus nullo discrimine in hoc admirabili mysterio se donat. *Venite ad me omnes*, exclamat , omnes , & ego reficiam v̄s. (i) Ah ! quid agis , ô bone JESU ! quō tuus , quæso , te amor impellit ? Nam quid est homo , quia ita magnificas eum , ut etiam apponas erga eum corrūm ? (l) & quid est filius hominis , quia sic visitas eum ? (m) Ecce pulvis , & cinis , & universa vanitas omnis ho-

mo

(h) Guerricus Abbas in Fest. Pent. Serm. I. inter opera S. Bernardi. (i) Matth. XI. v. 28. (l) Job. 7. v. 17. (m) Psal. 8. v. 5.

*mo vivens. (n) Et dignum ducis super
hujuscemodi aperire oculos tuos? (o)*

Heu! non solum viles, cæci, igno-
rantes ad bonum lenti, ad malum
proni, mille miseriis, perpetuæ mu-
tationi, ipsique corruptioni obnoxii
vermes sunt, quibus te sumendum
præbes; sed (quod magis horrendum).
frigidi, irreverentes, ingratii, petulan-
tes, quin etiam sacrilegi non raro &
redivivi Judæ sunt, quibus Angelico
hoc cibo ad infanda quæque abuti jo-
cuss est.

Hæc scis, nec tamen à proposito
absterreris! Omnes nihilominus, om-
nes sine delectu ad te invitas, cunctis
in clamando: *venite, comedite panem
meum, & bibite vinum, quod miscui vo-
bis. (p) Imò ad cœnam hanc magnam
pauperes, ac debiles, cæcos & claudos
introduci; quin insuper, ut intrent,
amica vi compelli imperas. (q) O cer-
tè*

(n) Psal. 38. v. 6. (o) Job. 14. v. 3. (p)
Prov. 9. v. 5. (q) Luc. 14. v. 21. & 23.

tè admirandum propensæ in nos clementiæ portentum !

O Amor Divine ! si pro solis Angelis , aut pro sola eorundem Regina cœleste hoc convivium apparâsses , stupenda nihilominus dignatio fuisset . Quid ergo erit illud instruxisse pro hominibus ; hominibus , inquam , qui non nisi turpes , abjecti , fœtentes vermiculi , pugillus cineris , saccus sterorum sunt . Et quidem instruxisse non solùm pro horum monarchis , nobilibus , doctis ; sed etiam pro maximè stupidis , agrestibus , barbaris , pro extremi ingenii & infimæ fortis fece . Quin & ex his non pios solummodo , simplices & fervidos selegisse ; sed nec sceleratos repulisse , fœdisque criminibus contaminatos ; imò nec eos arcuisse , quos hoc Angelorum pane ad beneficia , sacrilegia & magicas artes abusuros providisti .

Verbô : *omnes* invitâsse ; idque affectu summè benevolo , non tantum ultro ad Divinum hoc epulum accedentes

dentes benignè admittendo; sed etiam nauseabundos solicite vocando, amanter alliciendo, & imposito quoque præcepto invitos cogendo. Hoc enītvero est, quod hujus beneficentiae magnitudinem immensum auget. Hic certè, si unquam aliás, hic Divinus noster Assuerus ostendit *divitias regni sui*, (r) & generosi amoris magnificientiam prodit; qui tamen nec hic sifit, sed plus ultrà, limitum impatiens, tendit.

III. Igitur audite cœli, & auribus III.
percipe terra, (s) quæ nobis fecerit Semper &
magnalia D E U S. (t) En! non con- ubique
tentus, quod se ipsum, & quidem to-
tum tam vili argillæ, & quidem in cibum
dederit; hoc præterea beneficio nos
semper & ubique beat. O JESU bene-
ficientissime! si uno tantum in regno,
unica in urbe, unico in templo sub
panis forma, non dicam, manducan-
dum te, sed solummodo adorandum
exhiberes: si solum aliquot diebus,
mensi-

(r) Esth. I. v. 4. (s) Isa. I. v. 2. (t)
Psal. 105. v. 21.

mensibus, aut lustris hujus gratiæ nobis copiam faceres : si non nisi summo Pontifici ad aras litandi potestatem concederes ; quis nihilominus tantam benignitatem super astra non efferret ?

Quid ergo erit , Te non tantum tuam nobis præsentiam tam mirabil modo indulgere ; sed instar alimenti labiis sumendum, molendum dentibus, faucibus glutiendum , stomachoque digerendum Te præbere ? idque ubique locorum , per omnes quatuor mundi plagas , ultra septendecim jam secula , tot millibus sacerdotum hunc in finem consecratis ; & quidem continuando usque ad interitum mundi prodigo secundum tuum illud promissum : *ego vobiscum ero usque ad consummationem seculi.* (u)

O Domine verè mitis & humilis corde ! (x) Ah ! non est vicus tam abjectus , non templum tam vulgare , non sacrarium tam inops , ubi reponi nostri causa non feras ; quin immo non

(u) Matth. 18. v. 20.

(x) Matth. 11. v. 29.

non est platea tam sordida, per quam
deserri: non tugurium tam plebejum,
quod subire: non ægrotus tam fœ-
dus & fœtidus, ad quem invisere non
sustineas, ponendo tabernaculum tuum in
medio nostri, & ambulando inter nos,
(y) quasi unus ex nobis factus; (z)
nullam pauperiem nostram, vilitatem
nullam dignando, ministrorum ne-
minem repellendo; & quidem quoties
id nobis homuncionibus, ac quando-
cunque allubitum fuerit; nullum anni
mensem, mensis diem, aut diei mo-
mentum, nullas tempestatum vicissi-
tudines excipiendo.

O Rex regum! (aa) quo usque tan-
dem te adiget, deprimetque tibi do-
minans nostri amor? En! cœleste il-
lud manna in unica solùm arca &
quidem aurea, in unico templo eoque
Augustissimo, in unica civitate eaque
regia, intra ipsa Sancta Sanctorum af-
servabatur, ad quæ soli summo Sacer-
doti quot annis non nisi semel acces-
sus

(y) Levit. 26. v. 11.
(aa) Apoc. 17. v. 14.

(z) Gen. 3. v. 22.

sus patebat; & tu, (obstupescite ô sidera!) tu, *sub quo curvantur, qui portant orbem,* (bb) nobis tam vilibus vermiculis Heu! rei insolentia attonat mentem! Tu nobis in quavis ædicula, nulla non hora, te totum ah! stupore attonita clinquis hæret vox, & halitus meus intercluditur! (cc)

O DEUS abscondite! (dd) si Cherubinorum quispiam, mortales tuo jussu exuvias indutus, in paupere casa sui aspectandi, colendique nobis copiam faceret; aut si Seraphinorum aliquis tuæ vestis laciniam, barbæ capillum, vel sudoris guttulam à te submissam, nobis dono afferret; magnum id quidem, sed tamen avaras spes nostras non adeò excedens beneficium foret.

At verò quòd tu cœli terræque Monarcha, *qui non rapinam arbitratus es,* esse te æqualem Patri, (ee) quòd tu, inquam, te ipsum, & quidem totum tenui

(bb) Job. 9. v. 13. (cc) Dan. 10. v. 17
(dd) Isa. 45. v. 15. (ee) Phil. 2. v. 6.

tenui velamine tectum, in qualibet
ara, in obvio calice, sordidis non ra-
rò linteis impositum, non adorandum
modò, sed etiam mandendum omni-
bus nullo discrimine offeras; idque
non semel tantùm, aut uno solùm in
loco; sed nullo non tempore, ubique
terrarum, ad unicum mystæ etiam im-
pii nutum; hoc enimvero ejus gene-
ris miraculum est, quo nec tua po-
tentia majus patrare, nec sapientia il-
lustrius excogitare, nec amor præstan-
tius dare nobis posse videtur.

Hic certè si unquam aliàs, hic
omnino decet, ut illi *viginti quatuor
Seniores*, sepositis cytharis aureisque
coronis, cadant in facies suas coram agno,
eiisque, incenso thymiamate, cantent can-
ticum novum. (ff) Hic profectò con-
venit, ut etiam nos, gratæ mentis
æstu abrepti, cum omni creatura, que
super terram est, dicamus voce magna:
dignus est agnus accipere honorem, &
gloriam, & benedictionem. (gg)

Pars II.

P

Ec

(ff) Apoc. 5. v. 8. (gg) Apoc. 5. v. 12,
& 13.

Et quidnî? si enim Salomon considerato, quod extruxerat, templo attonitus exclamavit: *ergóne credibile est, ut habitet DEUS cum hominibus super terram?* (hh) licet ibi Dominus solum habitaret in caligine; (ii) si Miphiboseth Davidi sibi ajenti: *tu comedes panem meum in mensa mea semper,* stupefactus reposuit: *quis ego sum servus tuus, quoniam respexit super carnem mortuum similem mei?* (ll) licet is fuerit regius Princeps, filius Jonathæ, regni haeres; quæ nos, ô Numen immortale! quæ nos animo sensa fovere oportet, qui non tantum panem de mensa regis, (mm) non tantum gloriam Domini; sed ipsum gloriae Dominum, cibario schemate occultum, non aureo in templo, sed fordido corde recipimus?

Si Elisabeth, cum à Virgine Maria visitaretur, admiratione defixa in has voces erupit: *unde hoc mihi, ut veniat*

Mater

(hh) 2. Paral. 6. v. 18. (ii) Ibid. v. 1.
(ll) 2. Reg. 9. v. 7. & 8. (mm) Ibid. v. 13.

Mater Domini mei ad me? (nn) licet
hæc non nisi homo, eiique cognata
fuerit; si stupor ita circumdedit Simo-
nem Petrum, ut procidens ad genua JE-
SU diceret: exi à me, quia homo pecca-
tor sum; (oo) licet is tunc solam illius
naviculam subierit; ô Superi! quos
in affectus nos exardescere æquum est?
cùm Dominum dominantium (pp) in
Eucharistia totum se omnibus, sem-
per, & ubique tam prodigiosum in
modum prodigentem conspicimus.

Verum ô JESU Eucharistice! im-
perfectum meum viderunt oculi tui. (qq)
Scis, quòd non sufficientes simus, cogi-
tare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed
quòd omnis sufficientia nostra ex DEO
sit. (rr) Da ergo, ut cum Petro cré-
dam, quia Tu es Christus Filius DEI
vivi: (ss) cum Thoma te adorem ut
Dominum meum, & DEUM meum: (tt)
cum Centurione fatear, quia non sum
dignus, ut intres sub tectum meum: (uu)

P 2

cum

(nn) Luc. i. v. 43.

(oo) Luc. 5. v. 8.

(pp) Apoc. 17. v. 14.

(qq) Psal. 138. v. 16.

(rr) 2. Cor. 3. v. 5.

(ss) Matth. 16. v. 16.

(tt) Ioan. 20. v. 28.

(uu) Matth. 8. v. 8.

cum Publicano *percutiens pectus*, dolens & ego ingemiscam : *DEUS propitius esto mihi peccatori*, (xx) temporē meum seriō execranti, quo hactenū divina hæc mysteria usurpavi.

Fac, ut fiduciæ plena spe cum illa Hemorroissa firmiter confidam, quia *salvus ero*; (yy) cùm non tantum fimbriam vestimenti tui, sed te ipsum toties tetigerim. Præsta, quæso, ut cum Davide *diligam te Domine Fortitudo mea*; (zz) tibiique retribuam pro omnibus, quæ retribuisti mihi, (aaa) cor contritum & humiliatum, (bbb) mutuoque tui amore succensum; utque imitando illam pauperem viduam, quæ misit minuta duo in gazophylacium, (ccc) etiam ego hoc N. vitium emendem, hanc N. virtutem exerceam; contrariam illi appetentiam, aut sinistram animi affectionem gladio spiritus tibi victimam generosè immo-
lando.

§. IV.

(xx) *Luc. 18. v. 13.*

(yy) *Matth. 9. v. 22.*

(zz) *Psal. 17. v. 1.*

(aaa) *Psal. 115. v. 12.*

(bbb) *Psal. 50. v. 19.*

(ccc) *Mar. 12. v. 41.*

§. IV.

*Hujus Sacrificii, & Sacerdotum
summa dignitas.*

I. **A**llata hactenus incitamenta, re-^{I.}
ligiosè divino hoc pane ve-^{Praefan-}
scendi, omnis conditionis hominibus ^{tia Sacri-}
ficii.
etiam non sacris communia sunt;
quod verò subjungitur, Mystis pecu-
liare est, nempe Sacrificii hujus Sa-
cerdotumque excelsitas, utpote quæ
utrinque admiranda, excellens, sum-
ma est.

In primis eminens est hujus Sacrifi-
cii præstantia 1. ob dignitatem personæ,
à qua offertur; cùm principalis immo-
lator sit ipse Christus, à Divino Pa-
tre unctus *Sacerdos in æternum*, & appel-
latus pontifex juxta ordinem Melchise-
dech; (a) nos verò ejus substituti tan-
tum simus, ac ministri (ut Theologi
ajunt) solum instrumentales.

2. Ob sanctitatem hostiæ, quæ immor-
latur; hæc enim est ipsa pati nescia,

P 3

immor-

(a) Hebr. 5. v. 6. & 9.

immortalis, gloria, & *excelsior cœlis*
facta (b) humana Christi natura, quæ
 longè mirabiliori modo in Euchari-
 stia, quam in cœlo existit, nempe
 indefinite; (ut scholæ loquuntur) &
 quæ hypostaticè Verbo unita, in al-
 tissimis habitat, (c) sedens à dextris
virtutis DEL. (d) Qua proin victima
 in toto rerum universo nulla excellen-
 tior, sanctior nulla, nulla acceptior
 ne dicam reperiri, sed nec excogitari
 potest.

3. Ob majestatem illius, cui sacrificatur; quod solum est Numen æternum ita quidem, ut in gloriæ hujus societatem, sua Divinitate id vetante, neminem admittere etiam omnipotens queat.

4. Ob sublimitatem modi, quo ea litatur, nimirum (ut Tridentinum de-
 finit) per transubstantiationem, &
 integrum cumulum, omnes rationis
 limites excedentium, miraculorum, so-
 lo

(b) Hebr. 7. v. 26. (c) Eccl. 24. v. 7.
 (d) Luc. 22. v. 69.

lo linguae ministerio & quidem momento patrandonorum.

5. Ob excellentiam finis, ob quem offertur; cum sit Sacrificium, quod dicunt, latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, & impetratorium. Per illud enim condignus Supremo omnium Domino cultus defertur, & aequales, paresque pro innumeris, ab eo collatis, orbi beneficiis grates referuntur.

Insuper quilibet sacrificatio habet interminatam, & nunquam exhausti-
dam vim tum obtinendi omnia no-
bis bona, tum satisfaciendi ex aequo
pro commissis omnium mortalium
noxis. Ut proin valor hujus opera-
tionis sit infinitus, licet applicatio
eius effectusque finitus solummodo
sit; cum nostris ille meritis ac ani-
mi præviæ comparationi, servata pro-
portione, respondeat.

Et hinc non potest augustinor, aut
præstabilior actio ab hominibus exer-
ceri,

ceri, quām hujus hostiæ litatio. Nam per unicam ejusmodi amplius colitur Divina Majestas, quām per omnia in cūmulum collecta simul peccata inhonoretur; (singula minutatim expendantur) quamque per cunctos possibles, & intensissimos durante omni æternitate eliciendos virtutum actus à Cœlitibus honorari queat.

Præterea ibi patrantur prodigia & natura sua & numero prorsus stupenda. Ac pertractantur res, & negotia momenti adeò magni, ut eis compositæ omnes etiam gravissimæ aularum negotiationes non nisi otia sint & aniles nugæ.

Denique oblatio hæc sacrificia est viva imago violentæ illius mortis, quam patientissimus Servator olim in Calvariæ clivo pro nobis obiit, non solùm repræsentans tragœdiam ibidem peractam, sed eandem denuo revera iterans, & incruento ritu repetens illud ipsum holocaustum, quod is in ara crucis cruento olim modo explavit,

vit, Sacerdos simul & Victima. Cujus ope peccata deleta, orcus occlusus, cœlum apertum, nos redempti, innumerisque gratiis cumulati fuimus, atque ad sublimem adeò dignitatem evesti, ut filii DEI nominemur, & simus. (e) O excelsam sanè, prodigiosam ac mysteriis plenam functionem, qua imma summis sociantur, terrena cœlestibus junguntur, unumque ex visibilibus & invisibilibus fit. (f)

II. Cùm tanta sit Sacrificii eminētia, metiri inde licebit etiam Sacrificantium excelsitatem. Hi enim plus ^{Eminētia Sacerdotum.} quam Angeli sunt, non quidē naturæ excellentia, sed potestatis privilegio. Nam (ut ait Sanctus Chrysostomus) *Sacerdotibus datum est, quod DEUS optimus maximus nec Archangelis concessum voluit.* (g) Quin imò teste Augustino cœlestes Spiritus, rem divinam perpetrantibus, quasi famuli assistunt. Quod si autem æthereæ Mentes immolantium sunt famuli; ergo,

P s infert

(e) I. Joan. 3. v. 1. (f) Greg. M. I. 4. dial. cap. 56. (g) S. Chrys. l. 3. de Sacerd. c. 4.

infert Sanctus Doctor, ergo hi conditionis suæ terminos egressi, ipsos etiam Cherubinorum & Seraphinorum choros munericis præstantia transcendunt. (h)

Præterea eorum celsitas superat suo modo augustissimam Deiparentis majestatem. Non enim illæ, (ut ait Innocentius III.) sed his claves regni cælorum commisit Dominus cum virtute, eundem ubivis & omni hora sacramentaliter incarnandi. Ut proin meritò exclaims Hypponensis Præfus: ô verè veneranda Sacerdotum dignitas! in quorum mansibus DEI Filius velut in utero Virginis denuo incarnatur; (i) & quidem non sine aliqua, quæ rem exaggeret, prærogativa. Nam Maria vitam non nisi semel eidem dedit, eamque injuriis, doloribus, neci obnoxiam; contrà verò mysta tribuit ei pati nesciam, immortalem, gloriosam; & quidem toties, quoties ei Sacris operari libuerit.

Deni-

(h) Allegatus à Molina de institut. Sacerd. Tract. I. cap. 5. (i) Loc. suprà cit.

Denique eminentia sacerdotalis omnes alias res creatas supergressa, proximè ad thronum ipsius Divinitatis suæ potestatis excelsitate accedit; cùm hi talia patrent, quæ soli supremo Numinis convenire Theologia docet. Nam pœnitentibus in sacro tribunali jus dicendo, dimitunt peccata: conficiendo Eucharistiam, edunt miracula: ipsi denique Christo imperant, obidente D E O voci hominis; cùm ad paucula litantis verba sine mora è cœlorum summo in quamlibet aram utut vilem cum omni suo infinitarum perfectionum comitatu lubens descendat.

Ita ut regius Psaltes vaticidico spiritu afflatus jure canat: *dixi: dii estis vos, dii fortes terræ, & filii excelsi omnes;* (1) *utpote queis fecit magna, qui potens est;* (m) *tribuendo illis nomen grande juxta nomen magnorum, qui sunt in terra:* (n) *imò elevando eos supra Principatus ac Dominationes, ipsamque*

(1) Psal. 81. v. 6. & 46. v. 10. (m) Luc. 1.
v. 49. (n) 2. Reg. 7. v. 9.

que Apostolorum Reginam , ac divinam quandam eisdem potentiam communicando.

Edicite jam , quid majus prædicari , quid illustrius afferri , quid sublimius excogitari de Sacerdotum excellentia possit ? Quid igitur mirum , quod , testante Augustino , super hoc , quod illis concessum est , tam insigni privilegio stupeat cælum , miretur terra , horreat infernus , contremiscat diabolus , & exultet plurimum angelica celitudo ? (lo. cit.)

III. *Inferenda exinde conclusio.* Huc ergo jam adeste , ô Ministeri Christi ! (o) ac muneris vestri statuſque dignitatem perpendite . Vos enim estis ſal terræ , lux mundi , lucerna ſuper candelabrum , civitas ſupra montem poſita , (p) & dispensatores mysteriorum DEL . (q) Vos genus electum , regale ſacerdotium , gens sancta , populus acquisitionis ; (r) quos Spiritus sanctus separavit ab omni plebe , jungens ſibi ; (s) ac ſe-

(o) 2. Cor. II. v. 23. (p) Matth. §. v. 13. & seq. (q) I. Cor. 4. v. 1. (r) I. Petr. 2. v. 9. (s) Num. 16. v. 9.

segregavit in ministerium suum, (t)
erigens de stercore pauperes; ut collocet
vos cum principibus: (u) ut annuncie-
tis virtutes ejus: (x) ut servaretis, &
ministraretis ei: (y) ut sitis Oratores
generis humani, conciliatores iratæ
Nemesis, & omnipotentis misericor-
diæ instrumenta.

1. Jam verò audite cœli, quæ loquor:
audiat terra verba oris mei! (z) & se-
quelæ, quam hinc infero, æquitatem
dijudicent. Hæc ergo cùm ita sint,
ô Ministri DEI! (aa) tanta, tam au-
gusta ac excellens cùm sit vestri Ordin-
nis prærogativa, vos ipsi decernite,
quanta igitur cordis contritione & fer-
vore, quanta reverentia & timore illud
divinum & cœleste Sacrificium sit cele-
brandum. (bb)

Vos ipsi concludite, qua crystallo non
oporteat esse puriorem animum, tali fruen-
tem convivio? quo solari radio non splen-
didio-

(t) I. Paral. 25. v. 1. (u) Psal. 112. v. 7.
 (x) I. Petr. 2. v. 19. (y) Num. 10. v. 9.
 (z) Deut. 32. v. 1. (aa) Jœl. 1. v. 13.
 (bb) Ambros, in præpar. ad missam.

didiorem manum, quæ carnem hanc dividit? os, quod igne spirituali repletur? linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? quaenam denique re non sanctiorem esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum receperit Dominum? (cc)

Vos ipsi judicate, (ut prudentibus loquor) vos ipsi judicate; (dd) an non indigna prorsus, horribilis & execranda res sit, futorem majori cum solertia confidere calceum, quam vos hoc Sacramentum: cum majori attentione vos ambulantes confabulari cum socio, quam altari adstantes colloqui DEO: majori cum praesentia animi vos ludere, scribere, studere, quam ad aras litare?

O Superi! exclamat os aureum: oporteret mystam liturgiæ incumbentem, omnem carnis cogitationem abjecere, è vestigio ad astra transferri, & nudo animo, mente pura solum circumspicere, quæ aether-

(cc) Chrys. l. 6. de Sacerdot. c. 3. (dd) 15
Cor. 10. v. 15.

āetherea sunt. (ee) Deberet sic esse puerus & attentus, eoq[ue] ardoris æstu flagrare, ut, si in cælis ipsis collocaretur, inter cœlestes illas Virtutes medijs stare posset. (ff)

Quām horrendum ergo (hominum hīc Cœlitūmque fidem appello) quām fœdum, triste & abominandum erit spectaculum, eundem mentis glacie totum quantum algere: cum ineptis cogitationibus velut cum totidem castellis pueriliter nugari, & quasi stupidum non attendere, quid agat: non intelligere, quid legat: in sacros calices non secus at in pocula irruere: corpus Servatoris velut carnes pecudum manducare, (gg) & mimicis gestibus sui gradūs ac dignitatis characterem pertulanter profanare; idq[ue] agere . . . ô sidera occulite radios! idq[ue] agere . . . (vah eloqui horreo!) ministrum Divinitatis, vicarium Redemptoris, internuncium sacrosanctæ Trinitatis, circum-

(ee) Chrys. l. 3. de Sacerd. c. 4. (ff) Idem ibid. c. 3. (gg) S. Bonavent. de præpar. ad miss. c. 4.

circumdatum Angelis, immixtum Sanctis, tota cœlesti curia stipatum; & quidem illo ipso tempore id agere, quo JESUM cœlis evocat, Verbum manibus tenet, & stupenda prodigia patrat: quo *Christi cooperator, DEI adjutor, & sacramentorum dispensator existit*: (hh) quo Ecclesiæ caduceatorem, fidelium conciliatorem, divinæ humanæque naturæ sequestrum agit, & coram justitiæ throno pro universo terrarum orbe Legatus ac deprecator intercedit. (ii) Enimvero verba me deficiunt, quibus hujus rei indignitatem pro meritis exprimam.

Clamat quidem hypocrita contra Novatores, in altaris Sacramento Salvatorem ipsum præsentem adesse; & interim ita se gerit, ac si ipfus de hoc fidei dogmate dubitaret: ita tepidè ac oscitanter sacrificiam hanc oblationem peragit, ac si Numen non nisi ligneum aut plumbeum haberemus, quod ejusmodi

(hh) S. Petrus Damiani opusc. de communi vita Canonicorum. (ii) Chrys. l. de Sacerd. c. 3.

modi irreverentias nec videat , nec sentiat : sacram liturgiam ea linguae volubilitate deproperat , ac si latrones à tergo instarent , qui necem ei strictis mucronibus jamjam intentent .

Et hæc videtis ô Potestates ! nec tamen effunditis septem phialas iræ DEI in terram ? (ll) hæc cernitis ô Dominationes ! nec tamen accipit armaturam zelus vester , armando creaturam ad ultionem ? (mm) hæc spectatis ô Virtutes ! nec tamen fiunt fulgura , tonitrua , & terræ motus ? (nn)

Ah ! tenebrescant sol , & luna ! (oo) obtenebrentur stellæ caligine ! (pp) ne hanc abominationem desolationis ,stantem in loco sancto , (qq) oculis usurpare cogamur . Heu ! spectaculum detestabile ! minatur DEUS , terret Christus , pavent dæmones ; & en ! distractus adstat sacerdos . Venerabundi contremiscunt Angeli , ardent amore San-

Pars II.

Q

eti ,

(ll) Apoc. 16. v. 1. (mm) Sap. 5. v. 18.
 (nn) Apoc. 16. v. 18. (oo) Ecclæ. 12. v. 2.
 (pp) Job. 3. v. 6. (qq) Matth. 24. v. 15.

Et, oppressa miseriis gemit Ecclesia;
 & enī solus in medio positus languet
 sacerdos. *Corpus Servatoris de panis*
transubstantiatur materia: descendit de
cœlo in carne Verbum: altaris verissimè
reperitur in mensa; (rr) & irreverenti
 gestu mysterii celsitatem infamat mi-
 raculi patrator mysta. *Obstupescite*
cœli super hoc, & portæ ejus desolamini
vehementer! (ss) Horrore concussa
 tremant fundamenta terræ; cùm orbis
 Conditorem à petulanti vermiculo adeò
 viliter haberi cernant.

2. At vñ tali animæ! retributio enim
 manuum ejus fiet ei. (tt) Nam teste
 Apostolo judicium sibi manducat, &
 bibit, non dijudicans corpus Domini;
 (uu) id est, (quæ Salmeronis exposi-
 tio est) per ejusmodi languorem,
 præsertim diuturnior si sit, proximè
 disponitur ad prolapsionem in noxam
 gravem. (ww)

O ful-

(rr) Laur. Justin. Serm. de Euch. (ss) Jerem.
 2. v. 12. (tt) Isa. 3. v. 11. (uu) 1. Cor. 11.
 v. 29. (WW) Disput. 19. in 1. Cor. cap. 11.

O fulmen terrificum! heu! ad hujus ferale tonitru cui non tinniant ambae aures? (xx) quid enim terribilis, quam quod ejusmodi homini *panis* vitæ (yy) fiat *plaga mortis*, (zz) & *calix benedictionis* (aaa) vertatur in *calicem furoris*? (bbb) quod *auctor salutis* (ccc) illi sit *causa perditionis*, (ddd) & scala ad cœlum ei evadat præcipitum ad orcum? quod ipse character sacerdotalis non nisi suspensa è collo asinaria sit mola, eò profundiùs illum ad ima demergens, quod altius super alios per illius præcellentiam fuerat evectus?

Proinde ô minister DEI viventis! per aræ, cui adstas, sanctitatem te adjuro, cogita, quæso, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris; & cave, ne sit honor sublimis, & vita deformis: (eee) ne tuo in sacris operando tempore summæ dignitati labem inuras, & spiritui gratiæ contumeliam facias.

Q 2

(fff)

(xx) 4. Reg. 21. v. 12. (yy) Joan. 5. v. 35.
(zz) Apoc. 13. v. 12. (aaa) 1. Cor. 10. v. 16.
(bbb) Jerem. 25. v. 15. (ccc) Hebr. 2. v. 10.
(ddd) Phil. 1. v. 28. (eee) Chrys., hom. 60,
ad pop.

(fff) monstroſa enim res est, (ait Bernardus) gradus ſummuſ, & animuſ inſi muſ. Secuſ, time vindicem Nemesis manu.

Si enim ultrix ira Numinis, ab Oza & Bethſamitis levi irreverentia læſum, arcæ honorem tanta ſtrage pu-niuit, quid tibi ô miser! fiet? Inde enim elucet, ait sanctus Thomas de Villanova, quanti pia culi ſimul, & periculi res ſit, indignè tractare, aut languide ſumere ſacrosanctum Christi corpus in hoſtia ſalutari, cujuſ iſ typum ſic vindicavit. Væ ergo tepidis immolatoribus! ſi enim talis ultio in umbra, qualis fiet in veritate? ſi ignoranter aut impruden-ter videntes, aut tangentes typicam il-lam ſimilitudinem tam acerba morte dam-nati ſunt, que animadverſio fiet in con-temptores majestatis? ita Archipræſul Valentinus. (ggg) & jure; nam (ver- ba ſunt Petri Damiani) aliás peccantes, quaſi dominum in rebus ejus offendimus; oſcitanter vero ſacrificantे, velut in perſo-

personam ejus manus injicere non time-
mus. (hhh)

Quid ergo mirum, quod teste Apo-
stolo pro ejusmodi peccatis jam non re-
linquatur hostia; (iii) & Dominus jura-
verit domui Heli, quod iniquitas domus
eius non expietur victimis & muneribus
in aeternum? (lll) quid mirum, quod
orbem multiplici malorum cataclys-
mo toties inundatum cernamus? Nam
quæ alia est causa, quod in Europa à
tumultuante rebelli ferocia hæresi tot
vastata fuerint regna, violata templo,
polluta altaria, direpti calices, pulsi,
necatique sacerdotes? verbô: cur sacra
nostra fuerint data in conculcationem,
mutatus color optimus, & dispersi lapides
sanctuarii? (mmm) quæ, inquam,
alia tot damnorum (saltē aliquā ex
parte) origo fuit, quām tepor obiter
& cursim sacrificantium? Hic enim,
hic erat ille ventus turbinis veniens ab
Aquilone, (nnn) qui tam atras erro-

Q 3 rum,

(hhh) In opusc. de communi vita Canonic.
(iii) Hebr. 10. v. 26. (lll) I. Reg. 3. v. 13.
(mmm) Thren. 4, v. 10. (nnn) Ezech. n. v. 4.

rum, plagarum, & calamitatum nubes patriæ invexit. Hic illas *septem phialas aureas plenas iracundiae DEI* perexeentes de templo Angelos (ooo) in terras nostras effudit.

Nempe inavult summa illa nullius indiga Majestas omnino carere victimis, altaribus, & templis, quām ea sacrilego mystarum languore profana ta conspicere. Argumento nobis sine gemina illa veteris testamenti monumenta, arca scilicet & templum, quæ ambo ob sacerdotum culpas primūm hosti, demum & igni in spolium celsere. Nam (ut narrant divinæ paginæ) non solùm duo filii Heli mortui sunt, Ophni & Phinees, utpote nescientes Dominum; sed & arca DEI capta est. (ppp) Non solùm Levitæ captivi Babylonem fuerunt abducti, sed ipsum quoque Solymæ templum ultricibus flammis fuit consumptum. (qqq)

Nimirum (ut ait S. Prosper) sic *DEUS Israël peccantibus sacrorum ministris,*

(ooo) Apoc. 15. v. 6. (ppp) 1. Reg. 4.
v. 11. (qqq) 4. Reg. 25. v. 9.

stris irascitur, ut etiam sacratis locis,
vasisque non parcat. (rrr) Licet enim
aurei sint calices, cum tamen vos lig-
nei sitis, ô sacerdotes! non est mihi
voluntas in vobis, dicit Dominus exer-
cituum; & munus non suscipiam de ma-
nu vestra. (sss) Licet ecclesiæ sint mag-
nificæ; quia tamen mentes vestræ sunt
frigidæ, ne offeratis ultrà sacrificium, di-
cit Dominus; solemnitates enim vestras
odivit anima mea, & incensum abomina-
tio est mihi. (ttt)

Væ itaque illis! qui ea ipsa actione
tantas in iras exasperant lenitatem Nu-
minis, qua ejus justitiam placare de-
buissent. Hos enim manet terribilis
quædam exspectatio judicij, & ignis sal-
tem lustrici horrenda æmulatio. (uuu)
Si enim magnus ille Avila, audita mor-
te inopina cujusdum juvenis mystæ,
qui unica solùm vice ad aras litaverat,
attonitus exclamavit: heu! multum
defert ad judicem! si unicam eamque

Q 4 pri-

(rrr) De promiss. p. 2. (sss) Malach. 1.
v. 10. (ttt) Isa. 1. v. 13. & 14. (uuu) Hebr.
10. v. 27.

primam & hoc ipso magis fervidam
sacrificationem tam rigida olim dis-
quisitio manet ; ô Superi ! quām se-
vera, terribilis , & metuenda ratio erit
reddenda pro tot tanto cum torpore
inter meras dissipationes præcipitas
litationes ?

Igitur quicunque super Angelos cœ-
lique Reginam evectus , & quasi DEus
terrestris effectus , supremæ dignitatis
culmen obtines , cave , ne tremendum
illud sacrificium irreligiosè peragendo ,
*inducas super te maledictionem pro bene-
dictione.* (xxx) Noli cum Nadab &
Abiu filiis Aaron offerre ignem alie-
num , rubricas (ut vocant) temerariè
negligendo ; ne ulti^r ignis egressus à
Domino devoret etiam te. (yyy)

Potius Sancta sanctè tracta ; oleum
quippe sacræ unctionis est super te ; (zzz)
& morem gerendo Venetorum Patri-
archæ Justiniano , munda te compunctio-
nis & lacrymarum lavacro : carnis lum-
bos

(xxx) Gen. 17. v. 12. (yyy) Levit. 10. v.
1. & 2. (zzz) Levit. 10. v. 7.

bos castitatis funiculo succinge : devotio-
nis affectu te compone : virtutum te orna
gemmais ; sicque memor Dominicæ passionis
ad sanctum accedas altare , divina su-
specturus mysteria. (aaaa)

O Pontifex magne , JESU fili DEI !
(bbbb) qui me famulum tuum nullis
suffragantibus meritis , sed immensa cle-
mentiae tuae largitate cœlestibus mysteriis
servire tribuisti , dignum , queso , sacris
altaribus fac ministrum , ut tuae Maje-
stati rite merear famulari . Præsta , ut
hoc tuum Sacramentum non sit mihi rea-
tus ad pœnam , sed intercessio salutaris ad
veniam ; ut sit ablutio scelerum , for-
titudo fragilium , & contra omnia mundi
pericula firmamentum. (cccc)

Da , ut fervoris æstu & ego con-
flagrans cum illis Seraphinis (dddd)
duabus alis velem faciem , summa de-
missione in abyssum nihili me dejiciendo : duabus velem pedes , intenso

Q 5 dolo-

(aaaa) Laurent. Just. de casto connub. c. 24.
n. 6. (bbbb) Hebr. 4. v. 14. (cccc) Ecclesiæ
in Orationibus Miss. (dddd) Isa. 6. v. 2.

dolore commissos defectus execrando:
duabus verò volem, intellectūs & vo-
luntatis exercitatione animum ad tui
amorem inflammando.

§. V.

Cœlesti epulo piè vescendi ratio.

VAstu quidem se hic pandit occa-
nus laxatis carbasis in varias pra-
xes excurrendi; verùm ne præsens hoc
caput in nimiam excrescat molem,
contractis velis non nisi littus legere
constitui, ac breviter documenta qua-
dam suggerere, piè divina hac dape
se recreandi. Nullus enim dubito,
quin allatis superiùs incitamentis per-
moti, nil avidiùs quàm institutionem
quamdam expetamus, Numen Eucha-
risticum posthac ferventiùs suscipien-
di. Ut igitur sacram hanc hostiam
ea, qua par est, pietate ac fructu vel
profani sumamus, vel sacerdotes lite-
mus, oportet, ut cœlesti huic mensæ
accumbamus i. debita cum attentio-
ne

ne mentis, 2. magno cum fervore cor-
dis, 3. congrua cum mora temporis,
4. denique cum animæ singulari pu-
ritate, ejusque sejunctione à cunctis
rebus creatis.

I. Attentionem mentis quod attinet, I.
hanc in gradu valde eminenti exigit tum *Attentionem*
cibi dignitas, tum cibandi vilitas. Hu-
jus nos commonet Salomon, dicens:
cum sederis, ut comedas cum principe,
diligenter attende, quæ apponuntur tibi.
(a) Id est, non obiter duntaxat ac
oscitanter, sed sedula cum diligentia,
& perspicaci solertia hæc duo expen-
de: *quid & cui* detur; nempe & *pre-*
mium rei, quæ apponitur: & nihilum
hominis, cui apponitur. Geminæ enim
hæc considerationes mira pollent efficac-
ia ad nos incitandos, ut omnes ani-
mi vires in hujus alimenti usurpatio-
ne intendamus.

Jam verò quanta angelici hujus pa-
nis, qui nobis comedendus proponi-
tur, quámque excellens præstantia sit,
docuit

(a) Prov. 23. v. 1.

docuit hujus capitinis §. I. quām imā autem nostra, quibus ille mandendus offertur, quāmque contempta abjectio & indignitas sit, inde elucet, quōd Ecclesia admiratione defixa exclamat: *ō res mirabilis! manducat Dominum pauper servus & humilis, Dominum servus, Numen vermiculus, Judicem reus,*

Quām indigna autem & execrabilis perversitas sit, hunc ipsum vilem adeò homuncionem dissipata, & in nugas abstracta mente ad divinum hoc epulum accedere, ex paulò superiùs dīctis abunde constat. Exinde patet, quām seriò intellectus huic negotiorum maximo sit applicandus. Nam prævia ad sacram hanc cœnam præparatio opus grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed DEO. (b)

Ad hoc autem plurimūm conductent sequentia duo adjumenta. Primum in eo consistit, ut instar præambuli nobiscum reputemus, videre nos cum Apocalypticō Vate *civitatem sanctam*

(b) I. Paral. 29. v. 1.

*sanc*tam* Jerusale*m* descendente*m* de c*æ*lo,*
 (c) *id est*, supremam Numinis Majestatem suo è throno in templi aram se demittentem, eamque sua Divinitate, ut olim *San*t*a* San*c*torum***, mystica nebula impletentem. (d) Præterea cogitatione nobis depingamus omnes Cœlitum choros universi Monarcham comitantes, & in nos vigilem obtutum defigentes: nec non Angelos turmatim altare circumdantes, & præ reverentia contremiscentes.*

Mysta verò insuper si sis, considera te tanquam ministrum Christi, oratorem generis humani, & conciliatorem iratæ Nemesis, DEUM inter & homines, velut alterum Aaronem vivos inter & mortuos, medium stantem; (e) ad quem utraque Ecclesia tum militans, tum purgans tanquam ad suum deprecatorem & sequestrum supplices palmas tendat. Viva horum phantasiæ impressa imago nimiam ejus evagandi licentiam potenter coërcabit.

Cùm

(c) Apoc. 21. v. 10. (d) 3. Reg. 8. v. 10.
 (e) Num. 16, v. 48.

Cùm enim ejusmodi, ut vocantur, præludia colligendi cordis tanta virtute polleant hora meditationis, cur minori excellant tempore synaxis?

Alterum conciliandæ attentionis remedium in eo positum est, ut genuinam methodum seu proprio marte conscriptam, seu typis impressam ad manus habeamus, in quam, si fors ariditate siccemur, vel distractionibus dissipemur, oculos conjiciamus. Potens enim id est, figendæ volatilis nimium imaginationis, & procurandæ collectionis subsidium. Ejusmodi præx in varii suppeditant libri. Ubi tamen notandum, præstare, ut expressi in iisdem virtutum actus spiritu potius, quam labiis exprimantur. Nisi fors minor habilitas animi pro casu peculiari vocalem eorum enunciacionem præhabendam suaderet.

II.
*Fervor
cordis.*

II. Fervorem cordis quod spectat, qui attentionem mentis socio gressu ponè subsequitur, *is quidem ignis est*, sed tamen, Patriarcha Veneto teste, ejus natu-

naturæ ignis est , quem subjectis lignis
fovere , & admotis flabellis animare iden-
tidem oportet. (f) Porro ligna eidem
nutriendo idonea suppeditat intellectus ,
considerando divini hujus con-
vivii excellentiam & fructus : flabella
subministrat voluntas , illud ardenter
desiderando , & sancta orexi appeten-
do. Piæ considerationes intellectus ,
ardentia desideria voluntatis sunt duo
fomenta hujus ignis , quibus ille &
accenditur , & nutritur.

Puncta harum considerationum
quod attinet , poterunt ea esse illa ip-
sa , quæ in prioribus paragraphis fu-
siùs fuerunt explicata , & quorum bre-
ve hic compendium subjunxisse non
abs re erit. Sunt autem sequentia.
1. Mysterii hujus excelsitas est summa
ob personam , quæ latet : ob modum ,
quo latet: ob finem , cur latet. 2. Eu-
charistia est thronus gratiæ fervidis ; qui
enim in illa suscipitur DEUS , omnia
potest dare ; cùm sit omnipotens : om-
nia

(f) S. Laur. Justin. Serm. de Eucha-

nia *vult* dare; cùm enim se ipsum det,
quid aliud neget?

3. Est tamen simul etiam *tribunal justitiae* pro tepidis, & quidem terrible, in primis ob *judicem*, qui erit ille ipse JESUS à nobis hìc tam viliter habitus: dein ob *accusatorem*, qui ip-sus erit sacrilego tempore profanatus, & vindictam expetens sanguis Christi: denique ob *reddendam rationem*, quæ ob neglectum tot gratiarum severissima erit.

4. Christus in hoc Sacramento dat *sé totum*, nil reservando: *omnibus*, neminem arcendo: *semper & ubique*, nullum anni tempus, nullam orbis plagam excipiendo. 5. Summa est hujus sacrificii eminentia ob *celsitatem personæ*, à qua offertur: ob *sancimoniam hostiæ*, quæ immolatur: ob *majestatem DEI*, cui sacrificatur: ob *sublimitatem modi*, quo ea litatur: ob *excellētiā finis*, ob quem offertur.

6. Eminens est sacerdotum *dignitas*; cùm potestatis prærogativa suerent

rent Angelos : excedant B. Virginem :
æmulentur Christum, ipsumque DEum.
Ergo & eminens sit oportet eorundem
sanc&titas ; ne sic honor sublimis , &
vita deformis. 7. Denique Eucharistia
est *monumentum Omnipotentie DEI* ;
cùm ibi patrentur miracula & nume-
ro & qualitate stupenda : est *speculum
Sanctitudinis Christi* ; cùm ibi omnes
ab eo virtutes in gradu heroico exer-
ceantur : est *prodigium Amoris Divini* ;
cùm Servator hoc Sacramentum in-
stituerit pridie mortis suæ ob nostra
scelera exantlandæ : providens sacrile-
gum ejus abusum , & præsentiens im-
manes injurias ei in eodem à magis
& hæreticis inferendas.

Ex his veritatibus (quas septem da-
ca opera posui, ut cuilibet per hebdo-
madam diei una semper consideranda
suppeteret) si aliquam ante sacram sy-
naxin breviter quidem , serio tamen
expenderimus , procurando fervori
magno id adjuvento erit. Et quò hæ
considerationes fuerint attentiores , eò
amplius cumulabitur ardor ; secun-

Pars II.

R

dum

dum enim ligna sylva (testante sacro Codice) sic ex ardescit ignis : (g) ubi verò defecerint hæc ligna , extinguetur ignis . (h)

Verùm non sufficit , per breves ejusmodi meditationes intellectum concipiendo fervori sarmenta subdidisse ; insuper requiritur , ut voluntas quoque per suos affectus , & desideria veluti per totidem flabella gliscentes flamas amplius suscitet , animetque. Ipse Christus desiderio desideravit hoc pascamanducare , (i) ut nos doceret , per piam ejusmodi appetentiam animum ad cœleste hoc epulum optimè comparari. Nam (ut ait Hypponensis Präfus) panis iste esuriem querit hominis interioris , & non nisi desiderando capaces efficimur , ut impleamur . (l)

Et certè quò major hæc fames fuerit , eò amplius sapient angelicus hic cibus , eoque pluribus ditabimur gratiis. Divinus enim hic Hospes esurientes

(g) Eccli. 28. v. 12.

(h) Prov. 26. v. 20.

(i) Luc. 22. v. 15.

(l) August. in Psal. 22,

tes replet bonis; nauseantes verò, & solùm pro more cum tædio accedentes, dimittit inanes. (m) Ne torpeamus igitur (concludit S. Chrysostomus) tanta digni caritate & honore putati. Nonne videtis, quanta promptitudine parvula papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, & ad ubera poculi spiritalis. Unus nobis sit dolor hæc esca privari. Hæc Os aureum. (n)

Itaque illo, quo sacrosancto Christi corpore reficiendi sumus, die, quin imò jam pridie horis succisivis sèpius in hæc suspiria erumpamus: quis mihi det te fratrem meum, ut inveniam te, & deosculer? Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS! Sitivit anima mea ad DEum, fortem, vivum! Domine, ante te est omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus! Igneis ejusmodi spiculis, magno cum affectu evibratis, vulnerari amat cor Dilecti.

R 2 Pro-

(m) Luc. I. v. 53. (n) Hom. 83. in Matth.

Proin determina, qua ratione data hæc documenta à te in usum sint deducenda. Et ipsus experieris, allatis paulò ante considerationibus, & frequenter hisce suspiriis veluti totidem lignis & flabellis concipi, & foveri eucharisticum fervorem cordis.

III.
*Mora
temporis.*

III. Tertium punctum, quod requiri suprà diximus, ut debita cum religione ad cœleste hoc convivium accedamus, est congrua mora temporis. Hæc autem tres potissimum functiones afficit, nempe 1. præparationem, 2. ipsam sacrificeationem, 3. gratiarum actionem.

Ad præparationem quod attinet, ei minimum quadrantem accurate impendendum esse, persuadet tum vigens apudpios consuetudo, tum summa operationis hujus stupendaque excelsitas. Assus ab Israëlitis comedebatur Agnus paschalis, non crudus. Si igitur cordi imparato crudam quisingerat Eucharistiam, quid mirum, quod ea tali plus obsit, quam pro sit?

Pro

Pro mensura præviæ habilitatis infundi à cœlo solent opes divinarum gratiarum. Quò ferventiùs quis se præparaverit, eò plura majoraque referet dona. Sicuti præcedens animi comparatio est necessaria conditio ad obtinendum felicem meditationis successum; ita hic quoque ex fervore præmissæ præparationis præfigere licet fructum secuturæ litationis.

Quàm triste igitur est videre ministros DEI viventis, qui ratione statûs ad sublimissimam perfectionem tendere tenenter, (nam cum his præcipue nunc mihi res est) hos, inquam, quàm triste est videre, ex ipso negotiorum tumultu, à studiis, collocutione, conventiculis, manuali labore, à nugis & vanis occupationibus: imò non rarò ex ipsis stragulis adhuc fumantes, animo dissipato, corde arido, sensibus incompositis, sine ulla pietatis stilla in Sancta Sanctorum tumulaturios irrumpere, & eodem vix non halitu à rebus profanis, sine interposta mentis collectione, ad illa myste-

ria pertractanda prosilire, ad quæ circumstantes Angeli, rei majestate stupefacti, cernui contremiscunt.

An non probrum est, (cœlum & terram hic judices volo) an non probrum est, ipsi etiam orco detestandum, majori cura puellas se parare ad saltum, quàm sacerdotem ad sacrum? accuratiori diligentia hunc ipsum mystam se comparare ad argumentandum, quàm ad sacrificandum? ad Magnatis alloquium, quàm ad sacrificium? ad prandium amici, quàm ad cœnam Agni?

Quid ergo mirum, quòd, licet vel unica synaxis sacra sufficiat, ut quis in magnum subitò sanctum evadat; quòd nihilominus nos, quamvis jam toties divina dape refecti fuerimus, tamen à solida virtute tam ingenti adhuc intervallo distemus: quòd DEO pasti, Christo pleni, ipsa sanctitate sanguinati, tamen terreni, animales, & sordidi peccatores simus? nempe tepida, oscitans, deproperata, nimiumque brevis,

vis, vel nulla præparatio hujus mali
fons est & origo.

Hoc ergo tam magnum optati fru-
ctus obstaculum ut è medio tollatur,
nobis præviè colligendis quartam ho-
ræ partem fideli constantia, & nun-
quam violanda lege impendamus. Ah!
non satisfaceremus obligationi nostræ,
(ait Thomas à Kempis) etiamsi per
integrum annum nos præpararemus,
ac nihil aliud in mente haberemus; &
nobis difficile accidat, huic negotio
hoc temporis pugillum dicare? Quis
tantum animi frigus non horreat!

2. Ad moram temporis quod atti-
net, *ipfi sacrificationi* consecrandam,
semihoram eidem tribuendam esse
declarat pioruim usus, suisque imperat
Parens Ignatius. Et certè hoc tem-
poris spatum exigere summo jure vi-
detur tum operationis mæstas, tum
operantis dignitas.

Nam ô sacerdos! instrumentum
es, & vicarius Christi tanquam im-

R 4 mola-

molatoris præcipui: amplissima legatione ad DEUM pro Ecclesia fungeris: conciliatorem agis inter Numen offendit, & rebelle genus humanum. En! quem manibus tenes, universi Monarcha, Dominus tuus, & Judex est: functio, quam obis, omnium possibilium sanctissima, gravissima est: cœlorum Throni & Dominationes, qui præsentes circumstant, motus omnes censorio obtutu observant. Et interim tu profano languore, mimicis moribus, indecoris gestibus, inter continuas (ut vocant) rubricarum violationes formidandum hoc sacrificium ita deproperas, ac si lictores tergori, latrones capitii jamjam proximi imminerent.

O Superi! procumbunt Principatus, pavent Potestates, adorant Cherubini, deficiunt præ rei admiratione Seraphini. Et eodem tempore Sacrorum minister, inter illos medius, veredaria celeritate, sine ullo pietatis indicio ita actiones præcipitat, orationes deblaterat, tremendaque hæc mysteria tra-

Etat,

et at, ac si solum fictile praे manibus haberet Numen. Quis tam probrosam templis execrationem non detestetur!

Quid enim? an non pudor est, eadem linguae volubilitate sacratum mystam recitare epistolas Pauli in ara, qua puer Ciceronis declamitat in scho- la? eadem incitatione & verborum syncope eundem perlegere Evangelii paginas, qua alii bajulas rerum novarum pagellas? eadem sermonis agilitate ab eodem decurri symbolum summis fidei dogmatibus plenum, qua narratur commentum inanibus fabulis fartum?

Profectò si quis illatam rustico injuriā eodem modo deprecaretur, quo talis enunciat *Kyrie eleison*, indignaretur is potius, quam misereretur. Si quis ab homine beneficium eadem labiorum velocitate, & quasi vocis protavia peteret, qua is Orationem Dominicam præcipitar, certò repulsam ferret.

R §

Ad

Ad illud cœleste trifagion : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, indicto cœlis silentio, illi quatuor & viginti Seniores, detractis vertice coronis, coram sedente in throno in genua procidunt, phialis aureis suum adorationis thymiam a doli-
lentes. Et interim hæc eadem verba, litans ad aram mysta, adeò festinanter congregando accelerat, ac si Trinitatis sanctitatem Atheistis exhibilandam propinare velleret.

Vox sacerdotis, altari adstantis, Psal-
mographo teste deberet esse *vox virtutis*, (o) latentem corde religionem
prodentis, eamque in assistentes me-
dio fervore propagantis. Verùm prò
dolor ! non raro est proditor interni
teporis, quem pariter contagioso exem-
pto circumstantibus afflat: est index
dominantis intus juvenilis pruritus præ
aliis citius absolvendi ; ajo : juvenilis
pruritus ! quid enim ? an non puerile
id & prætextatum quid est, puerorum
instar sacrificando ludere par impar,
& mutuò quasi certare, quis palmam
alte-

alterutri in deproperanda liturgia præripere queat? idque agere presbyteros Altissimi, adjutores Christi, populi patres: & quidem cœlesti curia inspectante; eoque ipso tempore id agere, quo Ecclesiæ apud DEUM in re summi momenti legatorum munere funguntur. *Enimvero vel solis his vocibus tantus inest horror, ut rem fidei lumine perlustranti, artus stupore, animum dolore compleri, necessum sit.*

At dices: mundani homines ejusmodi lentulos aversantur, eorum sacra refugiunt, *devotulos, ceri-perdas, scrupulosos* vocitant. Dandum aliquid etiam mundo est; itaque serviendum pietati propriæ, ne offendiculo sit alienæ. Verbô: singulares ne simus, quâ itur, eamus: sequamur communionem, qui jam invaluit, morem.

Vah! devovendum mille diris respectum humanum, qui sacrilega temeritate in ipsa etiam Sancta Sanctorum, ipsas in aras impius irrepere non
vere-

veretur. Ita enim si res se habet, ergo imprudenter egit S. Ignatius, suis rem divinam facturis, semihoram præscribendo. ergo insigniter desipiunt tot excellentes Prælati, hujus regulæ observationem urgendo. ergo apertè errant tot alii virtute & scientia præstantes viri, ad altare semihoram exemplendo.

Sed quid dicent homines, inquis, ad podagrosam ejusmodi, elumbem, & testudineam sacrificeationem? At quid dicet DEUS, ajo ego, ad cursoriam ejusmodi, histrionicam, præcipitemque litationem? Quid Christus olim in judicio sentiet de tot vocibus præcipitatis, actionibus indecoris, gestibus mimicis: de tot irreverentiis, evagationibus, immodestiis, tamque petulantî rubricarum neglectione?

Tuam hic fidem appello, quisquis tam immaniter ineptis; edic, an non stultitia sit, velle displicere Numinis, ut placeas homini? an non insanias, flamas lustralis rogi per illam ipsam functio-

functionem augere, qua illæ extingui debuissent? manducare sibi, & bibere judicium divinum, ut evites humum? Vah! ipsa rei impudentia bilem movet, & silentium imperat.

Quid? quod ipsi etiam sectatores mundi veredarios ejusmodi sacrificulos, irreligiosos cursores, sacriculos mimos, & venaticos mystas potius vilipendant, teporis arguant, & impietatis condemnent, utpote qui sua scurrili festinatione hæreticis scandalo, catholicis offendiculo, Ecclesiæ probro sunt.

Itaque cùm sacrificando fiamus *spectaculum DEO, Angelis, & hominibus,* (p) firmum concipiamus propositum huic tam sanctæ operationi semiogrammatice accuratè impendendi, & observandas in ea rubricas certis per annum temporibus iteratò relegendi; ne forsæ culpanda oblivione ex animo deleantur.

3. Post

(p) 1. Cor. 4. v. 9.

3. Post receptum cordis hospitio Christum, *gratiarum actioni* minimum horæ quadrantem tribuendum esse suadet urbanitas, ratio, fides. Et certè si subditus divertenti ad se regi tergum obverteret, & relicto hospite regio, mox iterum se ad consuetas occupationes conferret, profectò digna supplicio rusticitas foret. Quàm rusticum ergo ac inurbanum erit, cœli terræque Monarcham mentis nostræ penetralia ingressum, subitò solum destituere, & abrupta religione, mox iterum à sacris ad profana fugitivo impetu avolare?

Adest intra te ô homo! magnus ille è cœlo Medicus, animi tui vulnera curaturus: adest ipsa Patris æterni Sapientia, ignorantiae tuæ tenebras fugatura: adest cum suis omnibus thesauris infinita Bonitas, suis te donis ditatura; & tu faciem avertis, opem respuis, solem fugis, neglecto fonte cisternas fodis, deserto Creatore post res creatas curris. Illud moræ spatiū, quo cœlestis Sponsus intra te abdi-

abditus moratur, est tempus acceptabile, dies vitæ, hora salutis, momentum gratiæ; hujus boni doni ne partcula te prætereat, hortatur Spiritus Sanctus. (q) Hæc credis, & tamen compendiario cultu contentus, Judam imitaris, qui, cùm accepisset buccellam, exivit continuò. (r)

O prodiga æternorum anima!
en! dum tectum triticea nube recipis
DEUM, veniunt tibi omnia bona pariter cum illo: (s) Ejus deliciae sunt esse
cum filiis hominum: (t) suas tibi merces
Divinus Trapezita palam exponit,
teque ad nundinandum largus invitat
illis Isajæ verbis: *venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* (u) Et tu hæc omnia fastidiens, esuris ollas Ægypti, sitis poculum Babylonis, colligis paleas lutitantiique Mæcenatis tædio capta, quasi haberet amaritudinem conversatio illius,
(x) ex ejus te complexibus extricare fugi-

(q) Eccli. 14. v. 14. (r) Joan. 13. v. 39.
(s) Sap. 7. v. 11. (t) Prov. 8. v. 31. (u)
Mæ. 55. v. 1. (x) Sap. 8. v. 16.

fugitiva laboras. Edic, an non barbara hæc, insana ac infidelis ingratiudo sit?

At non habeo tempus, aīs, diu post sumptam Angelorum dapem mihi vacandi: alia me ocyus avocant negotia. At verò negotium animæ est etiam negotium, & quidem omnium maximum, ac unicè necessarium: tempus sacram synaxin proximè subsequens, huic tractando est omnium opportunitissimum. Et quænam tandem est illa adeò urgens occupatio, propter quam vel ipse convivator Christus sit relinquendus, & cui procuratio beatæ æternitatis sit postponenda? producantur in apricum illa negotiola: conferantur hæc cum salutis curâ; & patet, nos vitro gemmas, aurum arenæ, nugis seria posthabere.

Sed demus, variis te officiis obrutum, eorundem mole vehementer premi; tamen inficias haud ibis, ut iis te rite expediās, opus tibi esse & consilio & auxilio. Et en! utrumque faci-

facilis offert latens intra te magni consilii Angelus, (y) & fortis DEUS; (z) modò illa cum eo communicare ne graveris. Consulendo aternam Sapientiam, edoceberis modum: invocando infinitam Potentiam, obtinebis vires injunctis muneribus fungendi.

An non ergo dementia est, cum Saule, relictæ Arca, ad Pythonissam confugere, (aa) & spreto exercituum Domino, ponere carnem brachium suum? (bb) Quid ergo mirum, quod etiam nos cum Josue à Gabaonitis decipiamur? nempe os Domini non interrogamus; (cc) hinc ab hostibus toties vincimur; hinc nostri conatus speratō eventu plerumque frustrantur.

Examina proin, quomodo circa haec tenus dicta te habeas? dispice, an non Israëlicarum more etiam tua anima nauget super cibo isto levissimo? (dd)

Pars II.

S

Deter-

-
- (y) Eccl. in missa de Octava Nat. Domini.
 (z) Isa. 9. v. 6. (aa) I. Paral. 10. v. 13.
 (bb) Jerem. 17. v. 5. (cc) Jos. 9. v. 14.
 (dd) Num. 21. v. 5.

Determina temporis moram , agendis
deinceps gratiis impendendam : desig-
na affectus tunc eliciendos : cura , ut
semper ad manus tibi sit libellus ali-
quis ejusmodi virtutum actibus dives ,
qui arido tibi subsidio esse queat .

Crede , dole , spera , grates age ;
dilige , adora , vulnera pande animæ ,
donaque sancta pete . Amoris æstu
abreptus , cum Sulamitide exclama : *in-*
veni , quem diligit anima mea : tenui
eum , nec dimittam . (ee) Cogita , quòd
ille , quem cordis hospitio excepisti ,
rex tuus , & DEUS sit , sponsus & me-
dicus , pater & frater sit ; & non dee-
runt , quæ ei animus pandat sensa .

Id si feceris , verissimum esse expe-
rieris illud Chrysostomi effatum , dicen-
tis : *dum in hac vita sumus , ut terra no-*
bis cælum sit , facit hoc mysterium . (ff)
Hæc , quam præparationi , sacrificatio-
ni , & gratiarum actioni tribui cupi-
mus , triplex mora temporis erit præ-
vium

vium pignus beatæ æternitatis. Secus:
quò pietas nostra fuerit brevior, eò
carcer lustralis erit diuturnior.

IV. Quarta denique, ac præcipua IV.
conditio, ut piè, optatoqué cum fru- *Singularis*
ctu cœlesti hoc pane vescamur, est *puritas* *anima &c*
singularis animæ puritas, ejusque se-
junctio à cunctis rebus creatis. Illa
dicit immunitatem ab omni etiam ve-
niali labe: hæc vacuitatem ab omni
sinistra, minùsque pura affectione.

In primis ergo libera mens sit oportet ab omni prava, quæ in præsens rebellet, cordis motione: præsertim ab omnibus inimicitiis & alienationibus: ab omni vindictæ, & odii æstu: à cunctis malevolentiæ, ambitionis & invidiæ motibus: à quibusvis demum periculosæ amicitiæ aut amoris profani nexibus.

2. Præterea immunis ea quoque sit ab omni propensa in vitium inclinazione, præcipue ab omni sensibus blandiente affectu, atque à minùs

S 2 ordi-

276 Pars II. Cap. IV. §. V. Num. IV.
ordinata commodorum & honorum
appetentia.

3. Denique exempta illa sit, neceſſe est, ab omni nimia ad rem quam-
cunque creatam etiam piam adhæſio-
ne. Hos enim munditiæ gradus in
nobis exigi, denotat tum nitor *nuptia-*
lis illius vestis, (gg) quam in convi-
vis divini hujus epuli Evangelium de-
poſcit: tum exemplum Christi, ante
cœnam ipsos etiam Discipulorum pe-
des abluentis, per quos minores næ-
vos designari, Bernardus autumat, (hh)
qui pulveris instar animæ plantis ad-
hærere solent.

Et certè si in illis pueris, quos Na-
buchodonosor rex de *cibis suis enu-*
trirè jussérat, nulla macula esse debuit:
(ii) si panes propositionis *super men-*
sam purissimam reponere: (kk) si man-
na in arca aurea asservare tam solicite
oportuit; quid mirum, quòd teste
Diony-

(gg) Matth. 22, v. 11. (hh) Serm. de
cœna Domini. (ii) Dan. 1, v. 4. (kk) Exod.
25, v. 24.

Dionysio Areopagita summæ puritatis amator DEUS etiam à nobis saltem tunc expetat *extremam munditiam*, quando illum sumimus, qui pascitur *inter lilia*, imò qui ipse *flos campi* est, & *lilium convallium?* (ll)

Accedit, quod, licet veniales nævi noxiæque affectiones augmentum gratiæ non excludant, tamen ex sententia S. Thomæ, (mm) objecto obice, abundantes illos copiososque donorum fructus impedian, quem aliás hujus Sacramenti efficax vis in mundioribus animis operari consuevit.

Insuper hæ animi fôrdes & vitiosi affectus obstant præcipuo fini, quem Christus per Eucharistiam intendit, scilicet intimæ nostri cum eo coniunctioni. Propterea enim teste Chrysostomo *semetipsum nobis immiscuit*, & *corpus suum in nos contemperavit*, ut *unum cum eo simus*. (nn) Nec aliud (S. Leonis verba sunt) agit participatio

S 3 corpo-

(ll) Cant. 2. v. 1. & 16. (mm) 3. p. q. 79.
a. 8. (nn) Hom. 62. ad pop. Antioch.

*corporis & sanguinis Dominici, quām ut
in id, quod sumimus, transeamus. (oo)
Et hinc idem Servator Augustino di-
xit: *cibus sum grandium: non tu me
mutabis in te sicut cibum carnis tuae;
sed tu mutaberis in me. (pp)* Unde
patet ultimum hujus mysterii finem
nostram hanc in JESUM transmuta-
tionem, seu (ut loquitur Synodus Flo-
rentina) adunationem hominis ad Chri-
stum esse, utpote cui homo per hoc Sacra-
mentum incorporatur. (qq)*

Jam verò principali hoc fructu per
recensita superiùs obstacula omnino
frustramur. Nam, quamdiu inter Nu-
men & animam ejusmodi affectio in-
termedia viguerit, tamdiu non adhære-
bunt sibi, sicut ferrum misceri non potest
testa. (rr) Quām parum ac Ismaël
cum Isaac, Sara cum Agar, Dagon
cum Arca combinari poterant, æquè
parum alliis Ægypti cum cœlesti hoc
manna conveniet. *DEUS enim noster*
DEUS

(oo) Serm. de Sacr. Altar. Sacrajn. (pp)
Lib. 10. conf. cap. 19. (qq) In decreto pro
Armenis, (rr) Dan. 2. v. 43.

*DEUS zelotes est, DEUS æmulator est,
 (ss) non ferens rivalem. Solus vult
 in cordis throno regnare: solus in ara
 mentis adorari: divisum respuit impe-
 riū: æmulum non patitur idolum;
 nisi mundum ipsi habitaculum, & à
 profanis affectibus vacuum præpara-
 veris, mansionem apud te minimè fa-
 ciet, sed gratiis orbū te etiam ipse
 relinquet.*

*Quid? quod leves ejusmodi noxæ,
 malæque appetitiones sint execrables
 maculæ omni carcinomate ac livido
 ulcere fœdiōres, quæ cœlesti Sponso
 enormem nauseam & horrificum no-
 strī fastidium creant, nosque intimam
 cum eo conjunctionem penitus despe-
 rare jubent.*

*Itaque tui interiora ingressus, sine
 palpo inquire, an illud Sacri Codicis
 vaticinium: mutaberis in virum alium,
 (tt) in virum perfectum; (uu) an, in-
 quam, illud post tot sacras synaxes*

S 4 in

(ss) Exod. 20. v. 5. & cap. 34. v. 14. (tt)
 1. Reg. 10. v. 6. (uu) Eph. 4. v. 13.

in te habuerit locum? an dicere cum Paulo possis: *vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus?* (xx) vel num potius in te vivat mundus, rebellet caro, & vetustus Adam idem semper in te corroboratis moribus vigeat?

Vide, an secundūm Apostoli monitum, *exsoliando te veterem hominem cum actibus suis,* (yy) *indueris Domīnum IEsūm Christum?* (zz) vel num potius illa exprobratio Aggæi prophetæ tibi aptari queat: *comedistis, & non estis saturati: bibistis, & non estis inebrinati?* (aaa) ita quidem, ut etiam Deus-Homo tibi illud Psalmi objectare possit: *quæ utilitas in sanguine meo?* (bbb) cùm talis denuo recesseris, qualis ad angelicum hoc epulum accessisti, nempe æquè superbus ac avarus: æquè iracundus aut adversorum impatiens: æquè commodorum studiosus & voluptatum cupidus; nihilo factus

(xx) Gal. 2. v. 20.

(yy) Coloss. 3. v. 9.

(zz) Eph. 4. v. 24.

(aaa) Agg. 1. v. 6.

(bbb) Psal. 29. v. 10.

factus melior, & utinam non peior:
totus cereus ad vitium, non nisi ad
bonum cautes.

Aut age, & enumera defectus, quos
ope hujus Sacramenti emendâsti, aut
virtutes, quas per illud menti hæste-
nus insevisti. Heu! time, ne etiam in
te cadat illa maledictio Davidis: *fiat*
mensa eorum coram ipsis in laqueum,
(ccc) quo capiantur, & pereant. Quid
enim? an non miserrima fors tua fo-
ret, si stygius auceps hac ipsa cœli
esca pro illicio uteretur, quo te sua
in retia pertrahat?

Ne ergo hic p̄anis v̄itæ (ddd) tibi
sit stimulus mortis, (eee) sequentia ob-
serva. 1. Si piaculo quodam veniali,
præsertim crudiori, ac solito majori
contaminatum te deprehenderis, priùs
pœnitentiæ lavacro in tribunali sacro,
ac perfectiori doloris actu conscientiam
emacula. Nam (ut docet Aquinas)
actualis refectio spiritualis dulcedinis per
peccata venialia impeditur. (fff)

S 5

2. Si

(ccc) Psal. 68. v. 23. (ddd) Joan. 6. v. 35.
(eee) 1. Cor. 15. v. 56. (fff) 3. P. q. 79. a. 8.

2. Si verò recalcitrans quædam motio aut perversa inclinatio internam quietem tumultuando perturbet, per elicas virtutes contrarias edomare easdem fatage. *non enim est in commotione Dominus.* (ggg) Turbas horret *pacis DEUS.* (hhh)

3. Si autem animus cuidam rei creatæ arctiori quodam vinculi genere adstrictus hæreat, tunc Abrahami robur indutus, impera, ut hunc tuum Isaac Divino Hospiti gladio spiritus amor sacerdos immolet. Id si feceris, etiam tu cum eodem Patriarcha multiplici benedictione repleberis. Hac attentione mentis, fervore cordis, mora temporis, & puritate animæ cœlesti mensæ constanter accubuisse, omnium efficacissimum acquirendæ virtutis solidæ subsidium est.

(ggg) 3. Reg. 19. v. 11. (hhh) Rom. 16. v. 2.



CAP. V.